Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25873
Copyright: Admont, Benediktinerstift

415

super domum hanc quam edificavi. Universi populi terrarum nomen dei timere didicerunt, cum per Christi gratiam Paulum predicatorem et doctorem habere meruerunt. Sicut populus israhel timere dominum didicerunt, quia qui prius alienati a deo in conversatione gentium fuerunt, per Pauli predicationem in consortium fidelium israhelitarum fide et dilectione transierunt. Hinc ergo ecclesia crescente et synagoga decrescente, manifestis signorum argumentis est comprobatum, quia nomen dei patris sit invocatum super ecclesie domum, quam suo sanguine Christus edificavit, et quam per Pauli predicationem in toto orbe terrarum confirmavit. SEQUITUR.

Si egressus fuerit populus tuus ad bellum contra inimicos suos, per viam quocumque miseris eos, orabunt te contra viam civitatis quam elegisti, et contra domum quam edificavi nomini tuo, et exaudies in celo orationes eorum et preces eorum, et facies iudicium eorum. Postquam ecclesia Paulum meruit habere doctorem et evangelii propugnatorem, cepit etiam per datam a deo Paulo sapientiam omnium hereticorum se inpugnantium expugnare insipientiam. Unde Christus in sua passione deo patri supplicat, ut contra futura hereticorum bella ecclesiam suam sua gratia premuniat. Si egressus inquit fuerit populus tuus ad bellum contra inimicos suos. Populus domini ad bellum contra inimicos suos egreditur, cum sancta ecclesia iudeis, ut hereticis, Christi adversariis, in defensione fidei et evangelice veritatis obluctatur. Per viam quocumque eos miseris, dicendo per spiritum sanctum predicatoribus evangelii apostolis meis: Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine patris et filii et spiritus sancti. Orabunt te contra viam civitatis quam elegisti. Civitas que a deo eligitur, superne ierusalem habitatio intelligitur, cuius civitatis est via vere fidei regula et evangelice veritatis doctrina. Domus quam Christus deo patri edificavit, est sancta ecclesia, quam suo sanguine propagavit. Contra viam civitatis oratur, cum superne ierusalem multiplicatio a deo postulatur, sicut psalmista cohortatur: Rogate que ad pacem sunt ierusalem. Contra domum oratur, cum sancte ecclesie profectus a deo postulatur, sicut item psalmista loquitur: Fiat pax in virtute tua, et abundantia in turribus tuis. Exaudies in celo, in mee passionis propitiatione, orationes eorum pro superne civitatis augumentatione, et preces eorum in ecclesie tue sublimatione, et facies iudicium eorum in adversariorum omnium hereticorum iudeorum et gentium deiectione. SEQUITUR.

Quod si peccaverint tibi, et iratus tradideris eos inimicis suis, et captivi ducti fuerint in terram inimicorum longe vel prope, et egerint penitentiam in corde suo in loco captivitatis, et conversi deprecati te fuerint in captivitate sua dicentes: Peccavimus, inique egimus, impie gessimus, et reversi fuerint ad te in universo corde suo, et tota anima sua, in terra inimicorum suorum ad quam captivi ducti sunt, et oraverint te contra viam terre sue, quam dedisti patribus eorum, et civitatis quam elegisti, et templi quod edificavi nomini tuo, exaudies in celo, in firmamento solii tui, orationem eorum et preces, et facies iudicium eorum, et propitiaberis populo tuo qui peccavit tibi, et omnibus iniquitatibus eorum quibus prevaricati sunt in te, et dabis eis misericordiam coram eis qui eos captivos habuerint, ut misereantur eis. Populus enim tuus est et hereditas tua, quos eduxisti de terra egypti, de medio fornacis ferree, ut sint oculi tui aperti ad deprecationem servi tui et populi tui israhel, et exaudias eos in universis pro quibus invocaverint te. Tu enim separasti eos tibi in hereditatem de universis populis terre, sicut locutus es per Moysen servum tuum, quando eduxisti patres nostros de egypto domine deus.

[Margin: non est enim homo qui non peccet.]

Sicut in passione sua dominus noster Ihesus Christus pro totius mundi peccatis apud patrem intercedit, ita etiam